

bant, quo illud Ioh. 2, 9. Aqua vinum facta est, nempe per Conversionem unius in alterum.

72. Iesuita nostro in dissolutione hujus argu- Tom.
menti, aqua, quod ajunt, haeret, & novis rursus si- P. 458.
militudinibus, sed ἄδεν πρὸς ἐπιφ. facientibus, rem magis implicat, quàm explicat: Ita nimirum Verbum Carnem factum esse asserens, sicut Aaron à Deo factus est Pontifex, David factus Rex.

73. Et quanquam istiusmodi similitudinibus Iesuita in eum duntaxat finem uti videtur, ut ostendat, divinam naturam non esse mutatam in humanam; Quemadmodum Aaron non mutatus est in Pontificem, aut David in Regem; sed uterque coepit jam esse, quod non erat: tamen cum multis & periculis & absurditatibus similitudines istae laborent, abstinendum potius ab ijs foret, ne natura divina cum officio duntaxat aut qualitate aliqua, non verò duae substantiae videri possent unitae.

74. Rectius ergò ex consideratione utriusque loci ad Eutybianorum expositionem responderi poterit, diversissimam utrobique esse rationem. Nam de Aqua quidem Ioh. 2, 9. dicitur: Cùm Architriclinus gustasset aquam, qua vinum fuerat, τὸ ὕδωρ οἶνον γεννημένον. Quae verba apertissimè hoc significant, Aquam non amplius esse, sed aliquando fuisse aquam: & nunc vinum factum esse per conversionem substantiae.

P 4 In